Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

refutari. Vice igitur ihesu christi latroni in crucifixo miseretur et relevat, distentum solvit et liberat, fugientem ne capiatur confortat. Ve laudandus est christi confessor, qui mortis reum a morte salvat. Noluit enim mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Qui taliter ovili dominico hominem restaurat ne pereat, quomodo etiam ovem suam esuriente lupo illesam custodierit fidelis attendat.

In Nosimo quippe in villa que dicitur Quintele, plebs inter se collectam beato Virgilio fecit. et ille vitulum, ille agnum, quilibet prout potuit attribuit. E quibus arietem quendam die lupus arripuit [et cito fugiens secum ad silvam famelicus pervenit] unde non modicum doluit cuius animal fuit. hic seipsum indignum iudicat, se simul et sua sancto displicere formidat. At ille pater dampna subsannans negat. Sed ecce mirabile cum iam crastina dies illuxit, coram oculis astancium in medium gregis lupum aries traxit. Quo relicto arripuit fil[illegible] qui sanctis oblata reprobavit non condoluit pater. Patet ideo quod levius ab hostili manu defensat hominem, qui sic esurienti lupo illesam cohabitare fecit ovem. Huic miraculo concordat illa prophetia que dicit: Habitabit lupus cum agno et cetera. Item quidam homo de sancto Ypolito per duos annos fere et dimidium cecitate percussus cum iam audisset que fiebant per sanctum lumen petiturus accessit. sed quia adhuc forte indignus erat, quod volebat non obtinuit. Unde non modice dolens penitencia ductus mente cepit compungi, penam quam patitur suis commissis imputat. et confessus deo et sacerdoti seipsum devotus accusat. Penitenciam itaque inflixit penam indicens cunctam. At ille alacrius seipsum iudicans, ab esu carnium annualem petit abstinenciam, ut eo purior effectus meritis sancti salutem mereretur consequi optatam. Humana namque fragilitate confessor considerans vix rogatus concessit. At ille libens suscepit, inchoavit et feliciter consummavit. Evoluto ferme anno cecus petit iuvamen. sed ecce in via veniens sancto prestante Virgilio lumen recepit optatum.

Quidam miles de villa que dicitur Dienge, cum esset cecus audita fama viri dei, spe simul et fide perveniens sanctum petit Virgilium. quo dum iter arripuit, ecce in via veniens optabile lumen recepit. Cum itaque sancti Virgilii longe lateque fama diffusa crebresceret, ex diversis nacionibus confluxerunt languidi, et ex eis consolacione finem dabat meriti. Inter quos unus de Erphessfort accessit, utique contractus in tibia. sed ab ipso que fide petat ut iam in via melius haberet remedio petatur. et in die sancti Virgilii adveniens plene sanatus est. Reversus saliens qui claudicabat adveniens. et qui antea infirmus fuit, iam sanus glorificabat deum